



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

Cl. Differentia 27. Iure Canonico filii legitimi censentur, qui ex matrimonio
publicè, & bona fide contracto saltem alterius parentum nati sunt, licèt
revera matrimonium inter ipsos non constiterit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

DIFFERENTIA 27.

Iure Canonico filii legitimi censentur, qui ex matrimonio publicè & bonâ fide contracto saltem alterius parentum nati sunt, licet revera matrimonium inter ipsos non constiterit. *c. 2. & c. penul. Qui filij sint legit.* At Iure civili tales filij spurii habentur. *l. 3. C. Solut. matrim. Carisus. 45.*

I Glossa observatio est, in *c. 2. cit.* *Qui fil. sint legit.* quando matrimonium in facie Ecclesiæ publicè contractum est, quamvis impedimentum subfit, filios ex eo natos secundum antiqua iura legitimos esse, etiam si coniuges postea separentur. Similiter in *c. penult. eod. v. legitimum.* Hinc patet, inquit, quod sufficit bona fides alterius parentis, ut filij dicantur legitimi, & si nascantur lite motâ, legitimi sunt, licet postea separentur. Eadem *Raymundi apud Sylvestrum* doctrina est. Legitimus censetur, qui natus est de legitimo matrimonio, vel eo, quod legitimum reputabatur, licet interdiceret impedimentum. *c. inter Ioannem. Qui fil. sint legit.* & hoc sive ambo in facie Ecclesiæ bonâ fide coniuncti sint, credentes, se legitime copulatos, cum tamen non essent, sive alter tantum hoc credebat, quia sic etiam legitimus est filius, & utriusque parenti succedet. *c. Ex tenore. eod.* Secus si clandestu-

nè contraxissent: quia videtur fuisse ignorantia affectata, & multò magis, si ambo scientes publicè contraxerunt. *c. Cum inhiòtio. De clandest. desponsat. v. Gaill. lib. Obseru. 2. 48. n. 6.*

II. Legum civilium alia dispositio est. Nam *Antoninus Imperator* in *lib. 3. citatâ C. solu. matrimon.* spurios declarat illos, qui nati sunt ex libera, & eo qui servus est, & existimabatur liber esse. In huiusmodi igitur ignorantia, & bona fides non eundem effectum habent, quem Iuris Canonici benignitas illis tribuit. *v. Sanchez De Matrimon. lib. 3. Disputat. 42. num. 2. & Sylvester in v. Legitimi.* Vbi de modo legitimationis multiplici, eiusque effectibus multa & utilia tradit.

* *
* *